PETRUS LOMBARDUS. BANDINUS. INNOCENTIUS III. PAPA

Österreich, 12. Jh. Seite 72v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207

Copyright: Admont, Benediktinerstift

Peticiones vestre innotescant apud deum. Nonne deus omnia plene et perfecte novit antequam eveniant. Quomodo ergo dicit apostolus, ut peticiones innotescant apud deum? Solutio. Sensus est. Peticiones vestre adeo sint vehementes et non tepide, ut sint digne exaudiri et impleri. Cum enim adimplentur, nobis innotescunt, quia ad deum pervenerunt.

Dicit expositor, quod angeli offerunt orationes nostras deo. Ideo queritur, qualiter hec oblatio sit intelligenda. Solutio. Salva reverentia secretorum dominis quod ab angelis orationes nostras offerri deo nichil aliud est, quam per eos eas dignas fieri, ut a deo exaudiantur.

Item angeli medii sunt inter nos et deum. Sicut enim divina secreta nobis annuntiant, sic ea que apud nos aguntur deo annunciare dicuntur. Sed cum deo sua perfectio ad omnia cognoscenda sufficiat, queritur ad quid angeli ei aliquid annuncient. Solutio.

Non ut eum doceant, sed ut eternam et incommutabilem eius veritatem consulant, et ut sciant quid sit faciendum, quid et quibus et quando sit annunciandum. Non quero datum sed fructum. Queritur quid distet inter datum et fructum. Solutio. Datum vocat id quod datur, ut cibus, nummus, vestis. Fructus vero intentio datoris, que ideo dicitur fructus, quia sic eam opus ipsum iudicatur utile et fructiferum. Vel fructum vocat mercedem ipsam. Unde opus bonum dicitur flos, ex quo fructus eterne vite nascitur. Nota quod per eorum qui paravit heliam intelligitur opus bonum ubi opus bonum fuit sine intentione bona. Per viduam que eundem propheta paravit intelligitur fructus, ubi fuit opus bonum cum intentione bona.

INCIPIT EPISTOLA AD COLOSENSES.

PAULUS APOSTOLUS.

COLOSENSIBUS

Hanc epistolam scribit apostolus, qui colosenses sunt asiani. Quibus non ipse apostolus predicavit, sed eius discipuli, scilicet archippus et epafras. Sed archippus ministerium eorum accepat. Epafras vero ex eis oriundus fuit, et ab apostolo instruc-